DECANI FACULTATIS MEDICÆ

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

Med. Doct. Theoretices Professoris Ordinarii, Consiliarii & Archiatri Ducalis Saxonici,

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

DEMONSTRATIONE HIPPOCRATICA.

JENÆ, Litteris Krebsianis.

NOtabilis eſt, mutato paulum ſenſu, parœmia *Theſſali*, filii Hippocratis, *in oratione ad Athenienſes*, quæ inter epiſtolas hujuſdem *n. 27.* numeratur, *t. 11.* Δεῖ δὲ, *ait*, μὴ μόνον φάναι, ἀλλὰ καὶ ἀποδεῖξαι, ὡς ἐστὶ τὸ ἀληθές. *Oportet autem non ſolum dicere, ſed etiam demonſtrare, quod verum eſt.* Ut nempe non referatur quid indifferenter, vel ſtatuatur, ſed convincat & perſuadeat firmiter, non aliter habere.

Demonſtratio propria eſt veri clavis, intellectus noſtri filum Ariadneum, & unica cynoſura omnis ſcibilis, tantæ & neceſſitatis & dignitatis, ut omnes ad eam excolendam teneamur, nemo ſatis laudare poſſit.

Maximi hinc ſemper habiti demonſtrationis magiſtri, Ariſtoteles & Galenus, ut inſtar omnium celebrentur, rariora verò ſunt præcepta & methodus hujus ipſius ſcientiæ, quæ omnes alias aperit, & Logicæ præſertim eſt anima.

Non noſtri quidem eſt fori vel ſcopi, in his occupari, & extra oleas vagari; attamen cum inter ſcommata quorundam in artem medicam non minimum ſit, eſſe hanc incertam, ſeu, quod eodem recidit, carere demonſtrationibus, operæ pretium videtur, ſaltim leviori brachio tractare de ἀποδείξει Hippocraticâ.

Sanè auſim dicere, *divinum* hunc *ſenem* omnibus aliis autoribus in demonſtratione præferendum eſſe, ſive præcepta perputes, ſive exempla, adeò quidem ut jure merito ſit ac haberi debeat ἀναλυτικώτατος.

Et ut ipſe omnibus modis commendat σοφίαν ad medicinam, ut medicum Philoſophum ἰσόθεον proclamet: ſic viciſſim Philoſophis non dubitamus commendare Hippocratem. Δεῖ, *inquit*, μετάγειν τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς

τὴν

τὴν σοφίην. *Oportet ſapientiam transferre ad medicinam , & medicinam ad ſapientiam. l. de dec. orn. c. 4. t. 13.*

Diſtinguere ſedulò jubet paſſim inter opinionem & ſcientiam , quarum hæc ſcire faciat, illa ignorare, *leg. c. 3. t. 15.* imò opinionem in medicinâ in crimen verti contendit, *l. c. de dec. orn. c. 4. t. 1.*

Sedulò etiam inculcat, inviam viam , *ἀνοδίην*, arripere , qui non ex evidenti medio demonſtratorio , ſed ex probabili ſaltim rationis figmento procedunt , fallacem etiam & ad errorem proclivem eſſe contentionem , quæ fit cum garrulitate, *præcept. c. 2. t. 3. & 16.* multa item non ſyllogiſmis talibus expediri poſſe , ſed auxilio rerum , ſed experientiâ opus habere. *l. de dec. orn. c. 9. t. 2.*

His , ut alia non laudemus , vulgo dictam topicam , ſeu locos dialecticos , non item demonſtratorios excludit. Quin hos omnibus logicæ magiſtris contra nervosè ubivis inculcat non minus, quàm exercet.

Notum eſt , demonſtrationis ſummam totam eò redire , ut alia ſit à priori , alia à poſteriori , quo de vid. *Viott. l. 4. de demonſtrat. c. 15.* utramque ſolicitè & unicè tradit *Cous: μὴ λογισμῷ, ſcribit, πρότερον πιθανῷ προσέχοντα ἰητρεύειν δεῖ, ἀλλὰ τριβῇ μετὰ λόγου , non ratiocinationi prius probabili intentum medicari oportet , ſed exercitationi cum ratione ,* ſeu , quod eodem redit, rationi & experientiæ, tanquam duobus medicinæ cruribus & fulcris firmiſſimis ; *l. c. præcept. c. 1. t. 6.*

A priori demonſtrat ratio , à poſteriori experientia , quamvis non tam ſequelâ temporis & ordinis, quàm effectus ; utplurimum enim experientia præcedit , ratio ſequitur , & hinc ortum illud vulgatum : una experientia plus valet, quàm centum rationes, puta citra experientiam , adeoque infirmæ & incompletæ.

Cum verò ſparſim & per totum volumen Hippocratis librorum floſculos tales offendere liceat , ita ut forte integer liber de demonſtratione hâc exinde condi poſſet facillimo negotio , præcipuum illum laudabimus , & inſtar oraculi generalis,

rális, quem & *Pergamenus* citat, explicat & dilaudat non uno loco.

Eſt verò is initium *l.* κατ' ἰητρεῖον, ſeu *officina medici* inſcripti: Aut ſimilia, *inquit*, aut diſſimilia, à principio, à maximis, à facillimis, ab his quæ undiquaque penitus nota ſunt, quæ & viſu, & tactu, & auditu, & olfactu, & guſtu, & mente ſentire licet: quæ & quibus cognita omnibus ſcire licet.

Paucis multa complectitur, & nominatim potiſſima demonſtrationis capita. Liceat per ὅμοια intelligere congrua veritati & menti, ἀνόμοια contraria, q. d. diſcernenda probè eſſe omnia, ne αἱ ὁμοιότητες πλάνας καὶ ἀπορίας, *ſimilitudines errores ac difficultates* pariant, *l. 6. epid. ſ. 8. t. 8.*

Non incommodè quoque propoſitionem affirmantem vel negantem intellexeris, ut mens ſit utrobique, fundamenta certa ſtatuenda eſſe, quare vel ſtatuatur hoc illud, vel negetur.

Hæc verò ordine adducit, primo loco innuens arguendum id eſſe ἐξ ἀρχῆς, *à principio.* Enimverò in omni demonſtratione oportet κοινὴν ἀρχὴν ὑποθέσθαι τῇσι γνώμῃσι, *commune principium ſententiis ſupponere. l. de princip. c. 1. t. 4.* inſtar fundamenti ſcilicet certi, ex modo loquendi ipſi uſitato.

Sive itaque illud principium demonſtrationis ſtatuamus ipſam rei eſſentiam, ſive cauſam efficientem, ſive definitionem, perinde fuerit, emergit enim ex ſingulis locus ac fons demonſtrationis illativus. Inprimis illum titulum ſibi vendicat φύσις τοῦ σώματος, ἀρχὴ τοῦ ἐν ἰητρικῇ λόγου, *natura corporis principium ſermonis in arte medicâ l. de loc. in hom. c. 4. t. 1.* ἀρχὴ μεγάλη, *principium magnum*, *l. de alim. c. 4. t. 26.*

Uti ergò naturæ quandam βίην, & alibi ἀνάγκην, *violentiam, neceſſitatem* tribuit, ſeu certas & ſtatas leges, ita ex hoc fonte deſumpta momenta neceſſariò, quod volunt, ſeu firmiſſimè concludunt.

Alter locus eſt deſumptus ἀπὸ τῶν μεγίστων, *à maximis.* Per hæc intelliguntur axiomata & maximæ, magnæ in demonſtrando virtutis, qualis eſt paſſim laudata ab eodem: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, *contraria contrariorum ſunt remedia.* Quorſum

ſum & autoritatem divinam, ethnico licet more conceptam, retulero *l. 1. de diæt. c. 13. t. 18: Quæ Dii ſanciverunt, ſemper rectè habent.*

Illis paria facere queunt concluſiones jam demonſtratæ. Quid enim, quæſo, aliud ſunt Aphoriſmi Hippocratis, & ſeorſim conſcripti, & in Coacis, Prædictionibus, Prænotionibus, imò per totum obvii, quàm tales concluſiones, regulæque ratione & experientiâ demonſtratæ?

Tertius locus eſt ἀπὸ τῶν ῥηΐςων, *à facillimis.* Pertinent huc poſtulata, quæ poſtulamus concedi, tanquam vera, & poſſunt conſtitui pro noſtro ſcopo v. g. anatomica, mechanica, chimica, quorum omnium & apud *Coum* extant veſtigia.

Facillima ſunt notiora, à quibus ad ignota naturali methodo colligimus, provehimur & concludimus. Notiora ſunt inter hæc, quibus omnes aſſentiunt *l. de art. c. 4. t. 12.* Hinc ſpeciatim locum depromit quoque ἀπὸ τῶν πάντη πάντως γιγνωσκομένων, *ab omnibus notis & obviis*, ubi eleganter omnes ſenſus exponit & nominat.

Quod enim alibi dicit, oculis oportet magis credere, quàm γνώμησιν, *opinionibus, l. 1. de diæt. c. 5. t. 19.* id quoque hîc latius innuit. Viderint ergò quàm benè vel malè agant, qui ſenſibus derogant demonſtrandi hunc uſum, hanc certitudinem.

Notanter verò addit ſenſuum præſidem, mentem, ut & oculis videre, menteque intelligere poſſimus quæ ſint, & contra, *l. de art. c. 2. t. 6.* ut poſſimus dicere: δῆλον ἡ αἴσθησις, *indicio eſt ſenſus ipſe l. 6. epid. ſ. 6. t. 2.* & quæ ſenſus fugiunt, λογισμῷ *ratiocinatione* concinnâ pateant: *l. de art. c. 19. t. 16.* & quæ oculorum conſpectum effugiunt, ea mentis oculis obtineantur & ſuperentur, *ibid. t. 9.*

Unde velut conſectarium eſt ipſe effectus, omnibus obvius & relictus, ſeu ipſa experientia, ut ab ipſis rebus ad intelligentiam deveniamus, *l. de dec. orn. c. 12. t. 26.* ita quidem ut, ſecus ac aliàs ſtatuunt communiter, etiam ἀπὸ τύχης, *à fortunâ*, (cui aliàs parum hinc tribuit,) ſeu caſu, quædam inveniantur, quæ ἀπὸ γνώμης *ex mente* non occurrant. *l. de affect.*

c. 43. t. 3. Sicque eligere queamus, quod verius & melius, longissimum ab absurdo, *l. de vet. med. c. 42. t. 17. s.*

Sed hæc stricturæ saltim summæ sunt, plenius ubique & regulis & praxi ipsâ occurrentibus, si quis fontes illos genuinos artis legere dignetur. Cum verò facilior sit ratio docēdi per exempla, quàm per præcepta, non de nihilo erit laudare librum totum *de arte*, quo demonstrat dari medicinam, & habere demonstrationes, seu, ut vocat, *λόγȣς ἐν ἑωυτῇ ἐυπόρȣς*, *rationes in seipsâ plenas.*

Hoc ut probet, loculos non unos âpodicticos eosque stringentissimos applicat, v. g. ex definitione, *c. 4. t. 2. s.* ex postulatis *c. 5. t. 9. & 29.* è caussis *c. 6. t. 1. seqq. c. 7. & 8. c. 19. t. 20. & c.* ex axiomate *c. 9. t. 6. & 7. s.* illo scilicet inprimis: omne quod fit, propter quid fieri comperitur; & denique ex effectis. *c. 23. t. 8.* Optima nempe *ἀπόδειξις* fit per *ἐπίδειξιν*, quæ ex opere, effectu, experientiâ jucundius, quàm ex rationibus ostenditur. Totus reverà hic liber est logicus, ut liber *de præceptionibus* quoque, ne alia addamus plura.

Cum itaque nulla ars magis sit exculta quàm medica, nec ab ullo magis quàm Hippocrate; clarere puto posse, quantum & ipsa demonstrationibus polleat, & maximus harum artifex sit Hippocrates.

Hæc commentari visum fuit occasione DISPUTATIONIS INAUGURALIS, de puncturâ nervorum, Clarissimi

JOHANNIS EICHELII, Haderslebiâ Holsati, Medicinæ Doctorandi dignissimi.

Editus est in lucem hanc Haderslebiæ Holsatorum Mense Decembri M DC LXVI. Parente viro Consultissimo & Amplissimo HANS CHRISTIANSÖN, Consule ibidem primario, in tenellâ adhuc infantiâ constituto præmaturâ morte erepto: Matre ANNA, Viri admodum Reverendi ac Clarissimi JOHANNIS SCHRÖDERI Pastoris Allerensis Filiâ.

Mox à nativitate sacro fonte initiatus ac fidelissima cura à Matre educatus, privatorum deinceps præceptorum fidei com-

commiſſus fuit, qui non solùm iis ſtudiis, quibus puerilis ætas impertiri debet, illum imbuerunt, ſed pietatis pariter ac religionis Chriſtianæ fundamenta diligenter inculcarunt.

Poſt curatorum amicorumque, qui ipſi loco Patris præerant, ſuaſu, prævia profectuum facta exploratione, ſcholæ ibidem Regiæ, ut vocatur, inſertus, ductu Clariſſimorum Virorum RICHARDI VON DER HARDT Rectoris, JOHANNIS DOSSERI & PETRI WÖLDICKE Con-Rectorum, propriaque hinc junctâ induſtriâ, per aliquot annos eos ſibi comparavit profectus, ut communi Doctorum ſuffragio ad ſtudia academica aditus pateſieret.

Miſſus hinc Wittebergam ſub Rectore Magnifico D. JOHANNE STRAUCHIO, Medicinæ Profeſſore, nomen dedit M DC LXXXIV. Primo tempore Philoſophicis diſciplinis inhærens, totum ſe mancipavit horis privatis celeberrimorum in almâ Leucorea virorum, M. CHRISTIANI DONATI in Metaphyſicis ac Logicis, & M. CHRISTOPHORI REUCHLINI in Phyſicis.

Hinc ſtudium excolere medicum intimius cepit, indefeſsâ operâ tam in publicis quam privatis lectionibus ſecutus famigeratiſſimos Profeſſores D. JEREMIAM LOSSIUM, & D. JOHANNEM THILE, utrosque jam beatis adſcriptos, quorum fideliſſimam informationem gratiſſimo deprædicat animo.

Seorſim ſibi ducem ſelegit Virum Nobiliſſimum D. CHRISTIANUM VATERUM, Phyſicum Provincialem graviſſimum, qui propter inſignem peritiam ac in juventute formandâ induſtriam applauſum omnium reportabat. Hujus manuductione & informatione per tres annos privatiſſimâ totum Medicinæ curſum debitâ cum ſedulitate abſolvit, quam informationem, cui profectus ſuos inprimis debere fatetur, gratâ recordatione ſubmiſſaque veneratione recolit.

Adiit quoque alias Germaniæ celebriores Scholas, Francofurtum cis Viadrum, Lipſiam, Kilonium, Hafniam, Profeſſorumque in his celeberrimorum converſatione non ſine fructu uſus fuit.

Poſt Praxin domi per annum ferè feliciſſimè exercitam, ex mandato Patronorum, ad almam hanc Salanam doctrinæ & virtutis præmia capeſſendi ergo miſſus, Pro-Rectore Magnifico D. AUGUSTINO HENRICO FASCHIO, albo Academico inſertus eſt nuper die XII. Januarii. Paulo poſt modeſtè petitionem ſuam Collegio noſtro expoſuit, & abunde demonſtratis ac probatis ſolidis ac genuinis profectibus omnium pleniſſima obtinuit vota.

Cum itaque & publicitus in Cathedra eoſdem oſtenſurus ſit, habenda ad diem XXVI. Mart. me PRÆSIDE Diſputatione Inaugurali laudata, ad hunc actum ſolennem Magnificum Pro-Rectorem, Proceres Academiæ, Hoſpites & Fautores omnium ordinum honoratiſſimos perofficiosè & benevolè invito, rogoque ut eundem honorifica ſua præſentia cohoneſtare dignentur. P. P. Jenæ D. XXV. Martii. M DC LXXXIX.

L. S.